

## DE DEFINIENDA ASSUMPTIONE B. MARIAE V.

PETITIO AD SUMMUM PONTIFICEM DELATA  
A FACULTATE THEOLOGICA O. C. D. IN URBE

*Beatissime Pater !*

Omnium Scholarum Catholicarum Theologi, ne uno quidem excepto, a pluribus iam saeculis, propugnant unanimes B. V. Mariam fuisse, singulari Dei privilegio, ad caeli gaudia evectam anima pariter et corpore; adeoque veram decernunt huiusmodi propositionem, ut asserere non vereantur eam a nullo catholico posse impugnari, inficiari, aut in dubium verti, quin summae incurratur temeritatis nota, vel etiam manifesta contrahatur erroris labes.

Firmissimam vero hanc doctrinam aptissime cohaerere cum ceteris mysteriis, quae de B. Virgine intemeratae fidei praedicatio ab omnibus credenda proponit, nemo est qui non videat.

Scilicet: potuit Deus omnipotens statutis a se legibus derogare et virgineum S. Mariae corpus citius exornare gloriosis illis dotibus, quibus corpora omnium indiscriminatim fidelium decoratum iri speramus, post consummationem saeculi, in finali a mortuis resurrectione.

Decuit profecto sanctissimum illud corpus glorificari celerius servarique a dissolutione immune, eo quod iungebatur intimius, — et physico nexu et morali vinculo, — corpori Christi Domini, cui datum est non videre sepulchri corruptionem: illi nempe carni Christi, quae de carne Mariae efformata, obumbrante Altissimi virtute, in eiusdem S. Virginis corpore novem mensibus hospitio recepta atque custodita fuit, ad instar mannae in arca de ligno incorruptibili confecta.

Eo vel magis quod circa illud corpus omni veneratione dignum, peculiarem extitisse novimus Dei providentiam, vi cuius omnino integrum

atque mirabiliter illaesum perseveravit, etsi B. Virgo Maria vere et proprie functa est maternis concipiendi pariendique muneribus.

Nec minus vehementer suadet illius corporis incorruptionem praeservatio S. Mariae a peccato originali eiusque immunitas ab huius fructibus et stipendiis, aiente ad rem Mag. Michaële de Bononia, O.C. : « *Corpus gloriosae V. Mariae nunquam fuit nec erit incineratum... Sicut culpa originalis inducit debitum separationis animae a suo corpore propter separationem sui a Deo per culpam, ita vitium fomitis in carne inducit debitum incinerationis eiusdem corporis ; vitium autem fomitis in Virgine gloriosa nunquam habuit aliquem actum* » (in IV Sent., dist. 46, a. 2).

Verum urgentissimam omnium rationem, quae theologum virum movet ad viriliter amplectendam ac tuendam hanc de corporali Deiparae assumptione sententiam, quaeque inducit illum (quem initio dicebamus) communem Theologorum consensum, non aliam esse arbitramur praeter firmissimam Ecclesiae Christi fidem et persuasionem, eamque origine pervetustam, duratione constantem, extensione universalem.

Neminem quippe latet omnes christifideles, nedum catholicos, sed et illos quos dirum schisma a longo iam tempore avulsos detinet ab unitate catholica, indesinenter credidisse et perpetuo credere B. Virginem Dei Genitricem fuisse etiam corporaliter assumptam ad aeternam caeli gloriam ; suamque hanc convictionem adeo indubitatam adeoque rerum veritati consonam existimant, ut vix sibi persuadere valeant rem nondum esse fide catholica profitendam ; quinimmo christianis populis non modicum ingereret offencilum, qui pulcherrimae huic Virginis praerogativae, negando vel dubitando, defrahere auderet.

Istius autem fidei animique persuasionis apertum testimonium extat a saeculis sollemne Festum, quod utraque Ecclesia, Orientalis et Occidentalis, diversa quidem liturgica ratione sed eadem sententia eademque pietate, quotannis celebrare non desinit.

Et quod huius Festi liturgici obiectum non aliud sit quam finalis glorificatio B. Virginis non in anima tantum sed etiam secundum corpus, perpetuo edocemur tum venerabili Ss. Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum testimonio, tum perenni eaque publica verbi Dei dedicatione.

Iam vero, Pastor aeternus et Episcopus animarum nostrarum permittere nequit universum suorum fidelium gregem esca venenosa nutrirī, ita ut turpiter aberret in gravissimo sane negotio, quod pertinere credimus ad divinum depositum ab Ecclesia fideliter custodiendum, declarandum ac defendendum.

Hinc aptissime adnotant nostri Salmanticenses : « *Quocirca, qui docet*

*Virginem non fuisse ita assumptam* (anima videlicet et corpore), *obligatur per consequentiam moraliter concedere quod Ecclesia Catholica erret et non gubernetur ab Spiritu Sancto*» (tr. XVII, de Fide, disp. IX, n. 49). Quam sane consequentiam nullus unquam Theologus permittet, eo quod Ecclesia Dei vivi est *columna et firmamentum veritatis* (I Tim., III, 15).

Certissima proinde atque fundatissima est doctrina, quae tenet B. Virginem Mariam non ultra expectare sui « redemptionem corporis » (cfr. Rom., VIII, 23), sed plene iam perfui glorificatorum corporum dotibus.

Utique nondum liquido constare censemus praefatam doctrinam de corporea Virginis in caelum evectione credendam proponi ab ordinario Ecclesiae magisterio tamquam veritatem divinitus revelatam: quo in casu, non iam ex pietate sed fide divino-catholica credenda esset.

At simul affirmare non timemus nihil obstare ex parte rei quominus ea possit sollemni iudicio definiri tamquam catholicum dogma.

Et revera, quaestio non est de aliquo *facto dogmatico*, quod historicis exigat comprobari testificationibus; etenim ipsa rei natura de qua agitur penitus excludit tamquam impossibile nec requisitum istud argumentandi genus: nullo quippe modo subiacet sensibus nec proinde sensibilibus indiciis demonstrari unquam poterit alicuius iusti corpus iam in caelis adesse caelestibusque fulgere dotibus.

Est potius sermo de quadam *veritate* divinitus revelata fontibusque revelationis consignata, cui solidum fundamentum adsignari posse contendimus divinum oraculum Protoevangelii (Gen., III, 15) analogia biblica collatum cum doctrina ab Apostolo tradita de pleniori triumpho Christi supra peccatum, necnon supra eius fructum quae est concupiscentia, eiusque stipendium quae est mors corporalis (cfr. Rom., V-VIII; I Cor., XV, 26; etc.).

Nimirum: in Protoevangelio, — quod, teste *Bulla « Ineffabilis »*, de humani generis Redemptore eiusque Matre intelligendum est, — exhibetur Mulier « arctissimo et indissolubili vinculo » cum suo Semine consociata, non modo in lucta contra Serpentis insidias, verum etiam in victoria, qua ei conterunt venenosum caput.

Porro dubitari nefas esse retinemus quin plenior ista victoria, ex una parte, Christum Dominum eiusque sanctissimam Matrem eximat ab illa viris et mulieribus communi maledictione, qua sancitum fuit: « *Pulvis es et in pulverem reverteris* » (Gen., III, 19); et, ex alia, illum includat de inimica morte triumphum, de quo ait Apostolus: « *Absorpta est mors in victoria* » (I Cor., XV, 54).

Quibus praesuppositis, necnon accedente concordia Ss. Patrum suffra-

gio, adstruere non ambigimus triumphum Beatissimae Virginis Immaculatae supra mortem per acceleratam corporis resurrectionem et glorificationem, ad similitudinem Filii sui, contineri formaliter implicite in deposito revelationis; et hanc veritatem posse ab idoneo magisterio proponi tamquam obiectum fide divino-catholica credendum.

Quod autem, Sanctissime Pater, haec veritas nondum definita, sed definibilis, definiatur tandem infallibili Tui magisterii oraculo, in votis habet universa Dei Ecclesia per totum orbem diffusa.

Hanc siquidem definitionem, iam a Concilii Vaticani exordiis, postulant conspiratione unanimi ingens Episcoporum agmen ex omnibus terrae partibus; hanc sollicita prece efflagitant Religiosorum Ordines et Congregationes, ecclesiastica Seminaria, Studiorum Universitates et Pontificiae Facultates; hanc quam maxime auspicantes praestolantur fideles innumeri, fuis ad hoc precibus, aliisque sponte susceptis pietatis poenitentiaeque exercitationibus.

Nec uberrimi e sollemni ista definitione deerunt fructus spiritus Ecclesiam Dei laetificaturi.

Etenim, ut alia praetereamus, infallibilis haec interventio Ecclesiae docentis occasionem praebebit haud exiguam augmento et meritis fidei Ecclesiae credentis; spes quoque in vitam aeternam et in futuram corporum resurrectionem firmabitur ulterius contra materialistarum deliramenta, qui animam et corpus pariter obire blaterant; nec sine emolumento erit charitas in Deum, in Christum Redemptorem, et in Virginem gloriosissimam, eo quod stimulus efficax inducetur, quo sursum eleveltur animus a rerum corruptibilium cupidine ad contemplationem et amorem bonorum incorruptibilium; mirum quoque in modum fovebitur et ecclesiastica charitas per eam, quae inde necessario consequetur, intimam omnium membrorum Corporis Mystici adhaesionem Capiti loquenti « ex cathedra ».

Quae cum ita sint, Beatissime Pater, nos infrascripti humillimi filii Tui, quibus, — licet indignis, — moderari contigit Pontificiae Facultati Theologicae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Urbe, ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti enixius rogamus, et nostro et omnium praedictae Facultatis Alumnorum nomine, ut, adhibita suprema qua polles auctoritate, infallibili oraculo declarare atque definire digneris *doctrinam, quae tenet Beatam Virginem Mariam fuisse ad caelorum gaudia assumptam in anima simul et corpore, esse a Deo revelatam, et ideo ab omnibus firmiter constanterque credendam sub poena damnationis aeternae.*

Et pro gratia, Sanctissima Virgo Deipara, quam ideo exaltatam profitemur super choros Angelorum ad caelestia regna ut acceptissima existat omnium nostrum Mediatrix, Te diu sospitem servet; a Te glorificata in terris Te coronet in caelis; et cuncto populo christiano Tibi commisso optatissimam largiatur unitatem et pacem.

*Romae, in festo Purificationis B. M. V. 1946*

(*Subscriptiones*) F. PETRUS-THOMAS A VIRGINE CARMELI, *Magnus Cancellarius* — F. BENIAMIN A SS. TRINITATE, *Praeses* — F. GABRIEL A S. MARIA MADGALENA, *Praefectus Studiorum* — F. EDMUNDUS A PASSIONE DOMINI — F. HENRICUS A S. TERESIA — F. VICTOR A JESU MARIA — F. NILUS A S. BROCARDO — F. TERESIUS A S. AGNETE — F. JOANNES A JESU MARIA — F. JOSEPH A JESU CRUCIFIXO — F. BENNO A S. JOSEPH — F. REDEMPUS A CRUCE — F. LADISLAUS A MATRE DEI, *Professores*.